



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XV. Vtr. prima disposito ad iustificationem necessaria, sit actus fidei,
& intellectus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Et sic in illa solutione concludit, habitum poenitentiae simul cum habitibus aliarum virtutum per sacramentum poenitentiae causari, quia efficiendo gratiam, ratione illius, vel per illam coefficet poenitentiam, & alias virtutes. Vnde quatenus D. Thomas ait, habitum poenitentiae esse gratiae habitualis effectum, potius indicat, eundem habitum poenitentiae non esse causam illius actus poenitentiae, quo se homo ad gratiam disponit, quia si illius esset causa efficiens, mediante illo esset causa gratiae, quod ibi D. Thom. negat. Nam de actu non poterat id simpliciter negare, vnde in solutione ad 2. ait, gratiam effectiue fieri virtute clauium, actum vero primum poenitentiae, scilicet contritionem, esse ultimam dispositionem ad gratiam consequendam. Et ibidem significat eundem actum poenitentiae, vt est pars sacramenti, posse effectiue producere habitualem gratiam. Imo in dicta q. 28. de Verit. artic. 8. ad 2. idem sentit de contritione, quatenus per eam, vt contritionem in voto sacramentum baptismi, vel poenitentiae, iustificatur peccator, quod apertissime repugnet, si actus ille a gratia habituali procederet; nullum ergo solidum fundamentum habet in doctrina Diui Thomae illa sententia, cum tamen priora argumenta irrefragabilia videantur.

C A P V T X V.

Vtrum prima dispositio ad iustificationem necessaria, sit actus fidei, & intellectus.

^{1.} **D**iximus in genere de dispositione ad iustitiam, & gratiam habitualem obtinendam, eamque in humanis actibus positam esse docuimus; consequenter ergo sequitur, vt qui sint illi actus declaremus. Et quoniam illi actus, vel intellectus sunt, vel voluntas, & intellectus prior est, ideo de dispositione ex parte illius necessaria dicere incipimus. Et in primis supponimus, primam dispositionem ad iustitiam esse actum fidei. Quod est certum de fide: nam quod fides sit necessaria ad iustitiam, satis expresse docuit Christus Dominus Matth. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*, & Paulus ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, quod latius in proprio tractatu de fide ostendendum est. Quod vero illa dispositio sit prima, satis significauit Paulus ad Hebr. 11. cum descripsit, fidem esse substantiam, seu hypostasim (id est fundamentum) rerum sperandarum, & cum subiicit, *Sine fide impossibile est placere Deo*. Quod tam de persona, quam de operibus eius Sancti intelligunt. Cum ergo sine fide nemo possit placere Deo, profecto nec iustus esse potest; nam qui iustus est, placet Deo; & ideo dicitur iustus ex fide viuere Abac. 2. Hebr. 10. Roman. 1. & propterea Paulus in suis epistolis, praesertim ad Romanos & ad Galatas, hominem dicit iustificari per fidem, tanquam per radicem, & originem iustitiae, vt Concilium Tridentinum sessione 6. capite octauo declarauit.

^{2.} Neque hanc fidei necessitatem haeretici diffidentur, sentiunt tamen, hanc fidem iustificantem non esse opus intellectus, sed voluntatis. Dicunt enim illam esse fiduciam, qua quis firmiter credit sibi esse remissa peccata, vel non imputata, fiducia autem non est actus intellectus, sed voluntatis; ergo licet fidem exigant, non tamen in ea significatione, qua ad intellectum pertinet, sed in alia, quae motum voluntatis importat, requirunt. Sed in primis non est de significatione vocis fidei contendendum: nam multi etiam Catholici admittunt illam significationem vocis, fidei, in qua etiam secundum morem Scripturae dicitur fiduciam significare. Quae sententia licet non sit certa, nec fortasse vera (vt in propria materia expendimus) non continet tamen errorem, dummodo non excludatur alia significatio, in qua specialis actus, & assensus intellectus nomine fidei in Scriptura, vel semper, vel frequentius significatur. Quod

maxime patet ex illis locis, in quibus fidei actus per verbum credendi, assentiendi, vel sciendi explicatur. Nam credere nihil aliud est, quam iudicare verum esse quod dicitur; hoc autem euidentissime opus est intellectus. Vnde Paulus 2. ad Corinthios 10. loquens de fide, per quam veritatem mysteriorum credimus, ait, *Captiuantes intellectum in obsequium fidei*. Et eodem sensu dicit Luc. Actor. 16. *Et verbum Domini crescebat*. Et infra. *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei*, id est, subiebat intellectum fidei; hoc est n. proprie obedire fidei. Praeterea est apertissimum testimonium Matth. 23. octauo, vbi cum Christus de Centurione dixisset, *Non inveni tantam fidem in Israel*, statim dicit eidem, *Vade, & sicut credidisti fiat tibi*, vbi aperte declarat Christus, Centurionem, credendo, fidem illam exhibuisse, & capit. nono, cum caeci visum ab illo peterent, interrogauit illos, *Credidistis, quia hoc possum facere vobis?* cumque affirmando respondissent, ait illis, *Secundum fidem vestram fiat vobis*. Ex quo loco etiam excluditur euasio alia haereticorum dicentium, euasio haeretice, verbum credendi etiam significare idem, ac confidence, vel fidei alterius committere, vt Luc. 16. Christus dixit, *Si in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?* Sed licet hoc verum sit, quando, Duplitter verbum credendi cadit in rem aliquam, quae fideliter aliqui tati alterius committitur, vt in citato loco, tamen creditur, quando cadit in veritatem creditam, vt quod Christus fit Deus, vel quod possit hoc, vel illud facere, non potest, nisi assensum intellectus significare. Et hic est frequentissimus vsus illius verbi in Scriptura sacra, vt in citatis Matthaei locis, & quoties in Scriptura de credendo Euangelio, vel reuelationi, aut veritati diuinae agitur, alia vero circumstantia rara est, & quae ex circumstantia locorum facile dignoscitur. Accedit, quod haec posterior significatio priorem supponit, & ab illa videtur deriuata. Nam ideo aliquis rem suam alteri fidenter committit, quia illum fidelem, vel diligentem esse credit, & ita posterior significatio ex priori deriuata est, illamque supponit.

^{3.} Hinc ergo secundo dicendum est, illam fidem, quae est iustitiae fundamentum, & propterea iustificans dicitur, esse fidem intellectus, id est, assensum firmum, in reuelatione diuina fundatum. Probatur primo ex illo Ioannis primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Fides ergo, qua credimus, est fundamentum diuinae filiationis, & iustitiae. Idemque confirmant verba Abacuc. 2. *Iustus meus ex fide viuunt*, ibi enim sine dubio est sermo de huius iustificante, & tamen illam incredulitati opponit, dixerat enim, *Qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso*, & subdit, *Iustus autem meus ex fide viuunt*, ergo haec fides est credulitas, quae sine dubio ad intellectum pertinet, sicut & incredulitas. Secundo ex Paulo in epist. ad Hebr. nam cum c. 10. eadem verba Abacuc retulisset, subdit in c. 11. *Est autem fides sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium*. Vbi, & fidem illam ita describit, vt & illam ab spe, ac fide subinde a fiducia distinguat, eamque fundamentum, & basim eius esse doceat. Hic est verior sensus illius primae partis, *Sperandarum substantiarum*, seu hypostasim, vt habent Graeci, id est, basis, & fundamentum, vt in materia de Fide latius explicabimus: in altera vero parte eandem fidem intellectui tribuit, dum ait, *esse argumentum non apparentium*, id est, firmus assensus, quo creduntur, quae non videntur, vt Theologi omnes, & Patres intellexerunt, quos in propria materia referemus. Nomine enim argumenti, probationem, seu medium, quo intellectus ad assentiendum inducitur, significare solet; effectum enim ipsum, qui est firmus assensus, Paulus indicauit, vt Anselmus, & Diuus Thomas notarunt. Et ideo statim subdit, *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*. Est ergo fides actus intelligendi. Et inter exempla, quae adducit, multa clare pertinent ad intellectum, vt de Abraham statim videbimus. Et de Isaac, & Iacob, ait,

fide benedixisse filios, de futuris utique prophetando, & prædicando, quæ credebant, & sic de cæteris. Ac denique cum ibidem dixisset, *Sine fide impossibile est placere Deo*, subdit, *Credere enim oportet, quia Deus est, & inquirentibus se remunerator sit*. Vbi & effectum formalem illius fidei declarat esse credere, & ex obiecto credendi, quia Deus est, & quod remunerator sit, euidenter constat, illud credere actum esse intellectus.

4. *Amplius roboratur assertio.*

Tertio ex Paulo ad Roman. 4. idem conuinci potest, nam fidem, per quam Abraham iustificatus fuit, per actum credendi declarat ex illo Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Quid autem crediderit, exponit infra dicens. *Credidit Deo, qui uiuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt, qui contra spem, in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*. Et infra. *Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum mortuum, &c.* Et infra. *In promissione Dei non habuit diffidentiam, sed confortatus est fide, in gloria Dei, plenissime sciens, quia quacunque promissit, potens est, & facere, ideo & reputatum est illi ad iustitiam*. Ex quibus verbis multiplex argumentum desumere possumus. Primum, & euidentissimum est, quia licet fiducia sit necessaria ad iustificationem (ut infra dicemus, & colligi potest ex illis verbis, *Non habuit diffidentiam*) non potest ipsa esse prima illa fides, quæ tanquam fundamentum, & radix iustificationis exigitur, quia fiducia voluntatis necessario debet fundari in fide intellectus, ideo enim alicui, siue affirmanti, siue promittenti confidimus, quia illum veracem esse credimus; ergo non potest fiducia esse fundamentum, sed fides illa, in qua ipsa fundatur. Et hoc est, quod Paulus ait *contra spem*, utique propriarum virium, in spem credidit, id est, credidit Deo, ut in eo speraret, & ideo subdit. *Non habuit diffidentiam, sed confortatus est fide*. Quæ verba inducunt à contrario heretici, ut ostendant, fiduciam esse fidem. Sed aperte errant, quia Paulus non dicit, credere esse non diffidere, sed esse causam, & radicem non diffidendi, seu confidendi. Quod etiā docet clarissime ad Ephes. 3. *In quo (scilicet Christo Iesu) habemus fiduciam, & accessum per confidentiam per fidem*. Vbi aperte illa duo distinguit, & fiduciam fundamentum dicit esse fidem. Et similiter 1. Timot. 3. ponit fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. Quod autem hæc fides, qua confortatus est, sit intellectus, multis modis declarat. Primo, proponendo eius obiectum dum ait. *Credidit Deo qui uiuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*. Secundo, quia illam concepit, quoniam non considerauit corpus suum mortuum, sed Dei omnipotentiam. Et hoc est, quod tertio subdit. *Plenissime sciens, quia quæ promissit, potens est, & facere*, ubi etiam participium, sciens, intellectus actum indicat manifeste, participium autem pro participio, credens, ad denotandam fidei firmitatem, sic enim fides propter certitudinem, & infallibilitatem solet interdum scientia vocari, ut Luc. 1. *Ad dandam scientiam salutis*. Quæ verba, & similia satis etiam confirmant, fidem iustificantem esse salutarem scientiam, ac proinde ad intellectum pertinere. Præterea hoc confirmant alia verba eiusdem Pauli de eodem Abraham ad Hebr. 11. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, &c.* Et infra. *Arbitrans, quia, & a mortuis suscitare potens est Deus*, ubi verbum, arbitrans, intellectus actum etiam significat, & pro verbo sciendi, aut credendi positum est.

Ratio eiusdem.

Apertus error hereticorum exploditur.

Quarto possumus ratione simul, ac Concilij Tridentini, & Patrum auctoritate eandem veritatem confirmare. Nam fides iustificans est fides illa, quæ est Theologica virtus, seu actus eius, sed illa non est fiducia; ergo firma credulitas, seu assensus intellectus. Consequentia clara est ex sufficienti partitione, seu enumeratione, tantum enim inter illa duo controuersia cum hæreticis versatur. Maior sumi potest ex Paulo 1. Cor. 13. dicente. *Nunc autem manet fides, spes, charitas, et hæc, ubi ex communi omnium Patrum, & catholico-*

5. *Fundatur quarto.*

rum sensu tres numerat virtutes Theologales ad iustificationem maxime necessarias, & inter eas primum locum fidei tribuit. Vnde etiam Concilium Tridentinum Paulum imitans sess. 6. cap. 6. in ordine iustificationis primum ponit actum fidei, quem sic declarat. *Fidem ex auditu concipientis libere mouentur in Deum credentes verasse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt*. Postea vero cap. 7. addit, in ipsa iustificatione accipere hominem fidem spem, & charitatem. Nam fides inquit nisi ad eam spes accedat, & charitas non perfecte vnit hominem Christo. Et D. Augustinus eundem locum tractans sermon. 53. de Tempore, de fide ait, *Primum homini Christiano necessaria est, & postea subdit. Per ipsam discitur veritatis scientia, & percipitur cognitio diuinitatis, &c.* Postea vero subdit. *Post hanc fidem spem, firmam habere discite, quæ animam nostram ad inuisibilia trahit, & intentiones nostras in celestia desideria inserit*. Vbi clare fidem intellectui tribuit, & illam ponit, ut fundamentum spei, seu fiduciae. Imo in libro 6. de Prædestinatio. Sanctorum, ut ostendat, initium salutis non esse ex nobis, sic fidem, describit in cap. 2. *Credere est cum assensione cogitare, quod aperte est intellectus, & lib. de Spir. & liter. cap. 9. quod Paulus ait, iustitiam esse per fidem Christi, exponit, id est, per fidem, quæ credimus in Christum, quæ tunc dubio est fides Theologica, de qua etiam in cap. 11. exponit illud Iustus ex fide uiuit*

Certa ergo est illa propositio maior. Minor autem non minus certa est, tum ex eisdem testimonijs. Nam Concilium Tridentinum in dicto cap. 6. post prædictam fidem subiicit timorem & deinde addit. *In spem eriguntur fidentes, Deum per Christum propitium fore*. Vbi declarat, & spem idem esse cum fiducia, & illam non esse fidem propriam, sed in illa fundari, ut cap. 7. amplius declarat, & cap. 8. de eadem fide à fiducia distincta exponit, quod Paulus sæpe docet, hominem per fidem iustificari, utique tanquam per initium, fundamentum, & radicem iustitiæ. Ideoque in canon. 14. damnat dicentes, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam iustitiam. Et similiter Augustinus libr. 83. Quæstion. 91. fiduciam tribuit voluntati, & in dicto sermon. 53. de Tempore, fiduciam in Deum sentit esse spem ipsam, quam fidei, tanquam fundamento superimponit. Vnde Hilar. lib. 3. de Trinit. ante medium. *Spem dixit esse stipendium fidei*. Ratio denique supra tacta, & in Paulo fundata id conuincit, quia firmitas spei, seu fiduciae, ex certitudine fidei nascitur, ergo distinguuntur tanquam causa, & effectus, est autem fides intellectus causa fiduciae voluntatis, & ideo illa est fides iustificans, seu iustitiæ fundamentum.

Vnde tertio dicendum est, hanc fidem intellectus esse primam dispositionem ad iustitiam. Ita docet Concilium Tridentinum. dict. c. 6. 7. & 8. & ex ipso nomine fundamenti, radices, & originis est clara. Et ita est summo consensu à Catholicis recepta, nec indiget alia probatione præter supra adductas. Quia in Scriptura hoc est primum opus, quod ab hominibus postulat, ut iustificari possint, Marc. vlt. *Qui crediderit, Et Ioann. 6. cum interrogassent turbæ, quid faceremus, respondit Christus. Hoc est opus Dei, ut credatis in ipsum, & ideo etiam dicitur iustus ex fide uiuere, & non posse Deo placere sine fide, ut alia omittam. Erratio est illa, quia omnis bona operatio ab intellectu inchoari debet. Hæretici autem, ut in suo errore de imputatiua iustitiæ persistant, & ne opus nostrum aliquid ad iustificationem conferre videatur, licet fidei necessitatem maxime prædicent, negant illam esse præparationem, aut dispositionem ad iustitiam, sed applicationem, seu apprehensionem iustitiæ nominant. Sed fundamentum hæreticorum de imputatiua iustitiæ refutatum est, & aliud de speciali fide iustificationis in capite sequenti impugnabitur. Alioquin autem manifestum est, fidem requiri, ut viam necessariam ad Deum, iuxta illud, *Antecedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & ut necessaria conditio ad cætera præ-**

tis opera, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt.* Et hoc est esse moralem, ac primam dispositionem ad iustitiam, neque amplius de voce, neque etiam de fundamentis hæreticorum contendere necessarium est; nam ad summum probant, aliquam fiduciam esse necessariam, vt illud Matth. 9. *Confide fili, & similia*, illa vero supponit fidem in intellectu, & qualis ipsa futura sit, infra dicitur.

C A P V T XVI.

Quæ fides, seu cuius obiecti sit fides iustificans?

1. **H**æc est altera, & vna ex præcipuis controuersijs cum hæreticis in materia de iustificatione. Distingunt enim illi in primis triplicem fidem, miraculorum, historiarum, & promissionum. Rursusque fidem promissionum distinguunt in generalem, & specialem, quarum prior ad omnes pertinet, est enim de promissionibus Dei, prout ad omnes pertinent, vt est illa. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, & similes. Posterior vero dicitur specialis fides, per quam vnusquisque sibi applicat cum omni certitudine promissionem illam generalem. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam secundum propositum gratia Dei Rom. 4.* credendo nimirum, firmitime, & sine hæsitacione propter Christum sibi non imputari, quicquid egerit, vel peccauerit, & ideo absolute, & sine remissione sibi esse remissa peccata præterita, & non imputari quæ quotidie committit. Hanc ergo fidem particularem dicunt hæretici esse fidem iustificantem, ac proinde obiectum iustificantis fidei in vnoquoque homine esse, non imputari sibi peccata per Christum, ac subinde se esse iustum, & innocentem apud Deum, non quia vere, & in re, vel careat peccatis, vel iustitiam habeat, sed quia sibi non imputantur propter iustitiam Christi sibi per fidem illam applicatam.

2. Neque vero ita huic speciali fidei iustificationem tribuunt, vt aliam fidem historiarum, & promissionum excludant, illam enim etiam admittunt, & ad illam specialem supponi facientur, negant tamẽ illam iustificare sine hac speciali, & ideo hanc solam iustificationem appellant. Ac denique hanc ipsam specialem fidem, vt diximus, non in solo assensu intellectus, sed in voluntate præcipue constituent, quam fiduciam appellant, quæ supponit quidem assensum firmum omnium Christi promissionum, addit autem voluntatem quiescendi in Christo, eiusque iustitia, volendo sibi imputari cum firma spe, quod eo ipso sibi iustitia Christi imputatur, & propter illum propria peccata non imputantur. Vnde ex illa fide generali, & hac voluntate videntur velle, vt sequatur etiam firmus assensus, quo vnusquisque iustificatus credere debet, se esse iustificatum. Hæc videtur esse in substantia sententia de fide iustificante, eiusque obiecto Protestantium huius temporis, quantum ex auctoribus illam referentibus colligere possum, quamvis tanta sit inter eos explicationum, seu propriarum imaginationum varietas, vt vix aliquid cærum de eorum mente dicere possimus. Fundamenta vero huius erroris nulla sunt, præter illa, quibus probare nituntur non esse in nobis veram iustitiam, sed imputatam, & hoc ad gloriam Christi pertinere, de quibus satis dictum est. Vel quibus probare nituntur solam fidem sine operibus iustificare, quia inde non male inferunt suam specialem fidem: nam si opera nõ sunt necessaria, optime sequitur, cæteras promissiones Dei, si illas credamus, habere in nobis effectum, ac proinde sequi ex illis fidem certam propriæ iustitiæ. Sed nos illum etiam errorem impugnabimus in capite sequenti, & ideo illis hæreticorum fundamentis nihil in præsentia adiungere necesse est.

tis nihil in præsentia adiungere necesse est.

Dicendum ergo in primis est, fidem iustificantem esse catholicam fidem, quæ in obiecto suo, & dogmata, & historias, & promissiones comprehendit. Assertio de est certa de fide, vt statim probabimus. Nunc breuiter ostenditur, primo ex refutatione ineptæ diuisionis triplicis fidei ab hæreticis sine fundamento, vel vtilitate introductæ. Primo quidem quia inter illa membra, præsertim inter duo vltima, sola materialis distinctio esse potest: quamuis enim & historiae de rebus præteritis, & iam factis, & promissiones de rebus futuris nobis per fidem proponantur, non creduntur a nobis, nisi quatenus a Deo reuelantur, & ideo eadem fide creduntur. Imo si attente res consideretur, vno & eodem actu fidei vtrumque interdum creditur. Nam cum credimus promissioni diuinæ, simul credimus, promissionem esse factam, quod ad historiam pertinet, & promissionem esse implendam, quæ vocatur peculiaris fides promissionis: non est ergo talis, quæ a fide historiarum separari possit, inepte ergo distinguuntur. Nam licet fides historiarum nõ contineat promissionem, id parum refert ad negotium iustificationis. Et ideo etiam ex hac parte inuicilis est distinctio.

Accedit, quod in rigore est diminuta diuifio, nam præter historias, & promissiones multa alia sunt nobis reuelata, vt Deum esse trinum, & vnum, & similia, quæ historiae non sunt, sed proprio nomine dogmata, seu mysteria fidei appellantur, & sine dubio pertinent ad fidem iustificantem, id est, ad salutem necessariam. De illa enim loquebatur Christus, cum discipulis dicebat. *Creditis in Deum, & in me credite, Ioannis 14.* & alijs locis infra citandis. Addendum ergo esset aliud membrum de fide dogmatum, tunc autem consequenter posset hæc ipsa fides in plures distinguui, quia in dogmatibus est magna varietas, nam quædam ad diuinitatem Dei spectant, alia ad humanitatem, quædam omnino supernaturalia sunt, alia lumine naturæ cognosci possunt, vt Deum esse, animam esse immortalem, inter quæ non minor ratio distinctionis, quam inter historias, & promissiones interuenit. Quod si forte dicant hæretici sub historiis comprehendit fidem omnium rerum, ac mysteriorum, quæ promissiones non sunt, profecto, & improprie satis nomine historiarum vtuntur, & immerito distinguunt historiarum fidem a fide promissionum, cum historiarum fidem in plures non distinguant, quia formalis distinctio inter illa duo membra non inuenitur, & materialis non minor inuenitur inter ea, quæ sub fide historiarum in illa latitudine continentur. Denique ob eandem fere rationem frustra specialis ratio fidei miraculorum habetur: nam reuera illa fides non est distincta a fide historiarum, & promissionum, neque in substantia est alia, quam fides catholica, vt patet ex interrogatione Christi, quam cæcis fecit Matth. nono. *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* & illis respondentibus, *Domine, ipse dixit ad eos, secundum fidem vestram fiat vobis*, credere autem Christum posse illuminare cæcos, fides catholica est, seu fides dogmatica, aut historica in dicto sensu: fides item miraculorum maxime nititur in promissione diuina, vt per se constat: ergo nõ potest omnino condistingui ab illis membris, sed illa includit, & eiusdem essentia est, licet aliquam perfectionem accidentalem, & practicam addat, vt in materia de fide in propria disputatione dicturi sumus. Superest ergo, vt vna sit fides catholica, sicut Paulus dixit ad Ephes. 4. *Vna fides.*

Hinc ergo concluditur, fidem iustificantem de se idem obiectum habere cum fide catholica, omniaque mysteria includere, quæ illa includit. Ita sumitur ex fidei Catholice Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. Et declaratur, nam licet recur- potest hoc intelligi de obiecto formali, vel de materiali, de priori res est clara, quia fides catholica niti- tur auctoritate Dei, & fides nõ iustificat, nisi quæ Deo iustificatur.

3. *Assertio de inepta diuifio hæreticorum refutatur.*

4. *Diuifio illa diminuta ostenditur.*

Occurritur hæretico- rum effugia.

Miraculorum fides impugnatur.